

ENARRATIO

IN PSALMUM LIII.

Sermo ad populum.

I. PSALMI hujus titulus habet fructum prolixitatis suæ, si intelligatur: et quia Psalmus brevis est, compensemus in mora tituli, quod in Psalmo non immorabimur. Inde enim pendet omnis versus qui cantatur. Si quis itaque agnoscat quod in domus fronte præfixum est, securus intrabit; nec cum intraverit, errabit. Hoc enim in ipso poste prænotatum est, quomodo interius non erretur. Titulus ejus sic se habet: « In finem, in hymnis, intellectus ipsi David, cum venerunt Ziphæi, et dixerunt « ad Saül: Nonne ecce David absconditus est apud nos¹? » Quod Saül persecutor erat sancti viri David, optime novimus: quod figuram gerebat Saül temporalis regni, non ad vitam, sed ad mortem pertinentis, et hoc Vestræ Charitati nos commendasse meminimus². Itemque quod ipse David figuram gerebat Christi, vel corporis Christi, et nosse debetis, et recolere qui jam nostis. Quid ergo Ziphæi? Vicus quidam erat Ziph, cujus habitatores Ziphæi, in quorum regione se absconderat David, cum eum vellet Saül invenire et occidere. Isti ergo Ziphæi cum hoc cognovissent, prodiderunt eum regi persecutori, dicentes: « Nonne ecce David absconditus est apud nos³? » Nihil quidem profuit illis proditio eorum, et ipsi David nihil

¹ Psal. LIII, 1, 2. — ² Supra in Enarrat. Psal. LI, 1, 2. — ³ I Reg. XXIII, 14-19.

obfuit. Namque animus eorum malignus demonstratus est: Saül vero nec post eorum prodicionem potuit comprehendere David; sed potius in ipsius regionis quadam spelunca, cum ejus manibus datus esset occidendus Saül, pepercit illi David, et quod habebat in potestate non fecit¹. Ille autem quærebat facere quod in potestate non habuit. Ziphæi ergo viderint illi qui fuerint: quos nobis Psalmus ex illorum occasione intelligendos offerat, videamus.

II. Si quæramus ergo quid interpretentur Ziphæi, invenimus Florentes. Florentes ergo nescio qui inimici erant sancto David, florentes latenti. Inveniamus eos in genere humano, si Psalmum intelligere volumus. Inveniamus hic primo David latentem, et inveniemus ei adversarios florentes. Attende David latentem: « Mortui enim estis, » dicit Apostolus, membris Christi, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo¹. » Isti ergo latentes quando erunt florentes? « Cum Christus, inquit, apparuerit vita vestra, tunc et vos cum illo apparebitis in gloria². » Quando erunt isti florentes, tunc erunt illi Ziphæi arescentes. Cui namque flori illorum comparetur gloria, attendite: « Omnis caro fœnum, et omnis honor carnis ut flos fœni. » Quis finis? « Fœnum aruit, et flos decidit. » Ubi tunc erit David? Vide quid sequitur: « Verbum autem Domini manet in æternum³. » Illa ergo duo genera hominum sunt, quæ et distinguere debetis, et eorum alterum eligere. Quid enim tibi prodest nosse, si eligere piger es? Et quidem nunc eligendi potestas adjacet: veniet tempus quando tibi potestas deerit eligendi, cum jam Deus sententiam non differet judicandi. Qui sunt enim florentes isti Ziphæi, nisi corpus illud Doëch Idumæi, de quo jam locuti sumus Charitati Vestræ ante paucos

¹ I Reg. XXIV, 4-8. — ² Coloss. III, 3, 4. — ³ Isaï. XL, 6-8.

dies¹: de quo dictum est: « Ecce homo qui non posuit » Deum adiutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum, et prævaluit in vanitate sua²? » Isti sunt florentes filii sæculi, quos modo ex Evangelio audistis, quia in sua generatione astutiores sunt filiis lucis³. Etenim ipsi videntur prospicere in posterum, quo nesciunt utrum veniant. Audistis quid fecerit domino suo villicus ille faciens sibi bonum de re domini sui, et largiens debitoribus illius, ut cum amotus esset a villicatione, susciperetur ab eis. Et quamvis fraudem fecerit domino suo, tamen cor ejus laudavit dominus ejus, non attendens ad damnum suum, sed ad ejus ingenium. Quanto magis nos debemus, ipso Domino nostro Jesu Christo admonente, facere nobis amico de mammona iniquitatis⁴? Mammona enim divitiæ interpretantur. Nostræ autem divitiæ ibi sunt, ubi est domus nostra æterna in cœlis. Proinde pecuniam temporalem illi appellant divitias, qui nisi temporaliter florere non possunt, nec in æternum sibi ex his amicos facere volunt: quia veras divitias non noverunt. Has ergo divitias sola iniquitas putat, florens ad tempus ut scœnum. Hi sunt Ziphæi inimici David, florentes in sæculo.

III. Hos aliquando attendunt etiam filii lucis infirmi, et nutant eis pedes, cum viderint malos felicitate florere; et dicunt apud se ipsos: Quid mihi prodest innocentia? quid mihi confert quod Deo servio, quod mandata ejus custodio, quod neminem premo, nemini aliquid rapio, nulli noceo, quod possum præsto? Ecce hæc omnia facio, et florent illi, ego laboro. Quid enim? Et tu Ziphæus velles esse? Florent in sæculo, arescent in judicio, et post ariditatem in ignem æternum mittentur: hoc velles et tu?

¹ In Enarratione Psal. LI. — ² Psal. LI, 9. — ³ Luc. XVI, 8. — ⁴ Ibid. 9.

Ignoras quid tibi promiserit, qui ad te venit, quid in se ipso hic ostenderit? Si flos Ziphæorum appetendus esset, ipse Dominus tuus nonne et in hoc sæculo florisset? Aut vero deerat illi hic posse florere? Sed hic maluit inter Ziphæos latere, et dicere Pontio Pilato interroganti, tanquam et ipsi flori Ziphæorum, et suspecto de regno ejus: « Regnum meum non est de hoc mundo¹. » Ergo hic latebat: et omnes boni latent hic, quia bonum eorum intus est, absconditum est, in corde est, ubi fides, ubi charitas, ubi spes, ubi thesaurus illorum. Numquid hæc bona apparent in sæculo? Et hæc bona latent, et horum bonorum merces latet. At vero dignitas sæculi quomodo alba est? Nitet ad tempus: numquid semper nitebit? Herba est hyemalis, usque ad æstatem viret. Non ergo fiat in animo, quod in alio Psalmo invenimus. Confitetur enim quidam prope se cecidisse nutantem, et labasse gressus suos ambulantes in via Dei, dum aspiceret florem quemdam felicitatemque iniquorum: et posteaquam cognovit quid iniquis in finem servaret Deus, et quid justis laborantibus promitteret, qui fallere non potest, agens gratias de hac cognitione, ait: « Quam bonus Deus Israël rectis corde! » Quare hoc dicis? « Mei autem, inquit, pene commoti sunt » pedes. » Unde? « Quia zelavi in peccatoribus, pacem » peccatorum intuens. » Confirmati sunt autem gressus ejus, posteaquam intellexit in novissima. Quod enim in eodem Psalmo paulo post dicit: « Hoc labor est ante me: » id est, magna mihi quæstio surrexit in corde, quare homines male faciunt, et in sæculo florent; multi autem bene agunt, et in hac terra laborant. Quæstio ergo ista cum magna esset ante oculos meos, et laboriosa ad investigandum: « Labor est, inquit, ante me, donec introeam » in sanctuarium Dei, et intelligam in novissima. Quæ

¹ Joan. XVIII, 36.

» sunt ista novissima¹? » Quæ, nisi quæ scimus jam in Evangelio prænuntiata? « Cum enim venerit Filius hominis, congregabuntur ante eum omnes gentes; et separabit eos, sicut pastor segregat oves ab hædis, oves ponet ad dexteram, hædos ad sinistram². » Ecce jam illi Ziphæi separabuntur: flamma sequitur separationem. Ubi est flos eorum qui jam ad sinistram stabunt? Nonne tunc ingemiscent: Nonne tunc sera pœnitentia torquebuntur, et dicent: « Quid nobis profuit superbia, et divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra³. » O Ziphæi ad sinistram stantes, sero pœnitet vos in umbra floruisse. Quare David, quem prodebatis inter vos latere, non agnoscebatis? Tunc enim si corrigeremini, dolor iste infructuosus non esset. Est enim dolor fructuosus, est infructuosus: fructuosus dolor nunc est cum te accusas, cum in te reprehendis malos mores tuos, cum reprehensos persequeris, persecutos excludis, illisque exclusis mutaris, exuens te veterem hominem et induens novum, eligens potius Christi opprobrium quam florem Ziphæorum. Porro si tibi contigerit habenti in occulto bonum tuum et latenti inter Ziphæos, habenti etiam in occulto promissionem mercedis tuæ, aliqua sublimitas sæculi, noli extolli: nam si elatus ex illa fueris, cades in florem Ziphæorum. Sic enim mulier quædam sancta Esther in illo tunc populo Judæorum, cum esset uxor regis alienigenæ, ventum est ad periculum civium, ut deprecaretur regem pro civibus suis; cœpit orare, et in ipsa oratione confessa est illa omnia insignia regalia sic sibi esse velut pannum menstruatæ⁴. Si hæc mulieres possunt, viri non possunt? Et si hæc potuit mulier Judæa, non poterit Ecclesia christiana? Hoc ergo dixerim Chari-

¹ Psal. LXXII, 1-17. — ² Matth. xxv, 31-33. — ³ Sap. v, 8, 9. — ⁴ Esther xiv, 16.

tati Vestræ: « Divitiæ si affluent, ne apponatis cor¹. » Abundent licet, et sequatur te prosperitatis sæculi, tu mari noli credere, nec ridenti. Divitiæ si affluent, si abundant, calca eas, et suspendere ex Deo tuo. Cum enim eas subter te habueris, et ex illo pependerit, cum fuerint subtractæ non cades. Ne forte per malam cogitationem minimeque christianam fiat in te quod dicitur in alio Psalmo, commemorato flore Ziphæorum istorum: « Nimis, inquit, » profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. » Dico dicitur: « Nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ: vir imprudens non cognoscet, et stultus non intelliget hæc. » Quid non intelliget? « Cum exorientur peccatores sicut fœnum, » et prospexerint omnes qui operantur iniquitatem, ut intereant in sæculum sæculi². » Delectavit eos flos malorum: dixerunt apud se: Ecce mali florent, puto malos amat Deus: et delectati temporali flore iniquorum, conversi sunt ad iniquitatem, ut interirent. Non ad tempus sicut illi florent, sed in sæculum sæculi. Unde hoc? « Quia » vir imprudens non cognoscet, et stultus non intelliget hæc, » non intrans in sanctuarium Dei, ut intelligat in novissima. Et quia difficilis est aliquantulum intellectus hic, inde cœpit Psalmus iste, ut David lateret inter Ziphæos, nec delectaretur flore Ziphæorum; sed eligeret potius inter illos humilitatem, ut haberet apud Deum absconditam claritatem. Quid ergo ei tribuitur in hoc titulo? « In finem, in hymnis: » hoc est, in laudibus. Quibus laudibus? « Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut » Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum³. » Quasi aruisse videbatur, perdita omni substantia? Absit. Folia ceciderant, radix vivebat. Ergo, « In finem, in hymnis. » Quid? « Intellectus ipsi David. » Intellectus, » contra illud: « Vir imprudens non cog-

¹ Psal. LXI, 11. — ² Id. xci, 6-8. — ³ Job. i, 21.

» noscet, et stultus non intelliget hæc. Intellectus ipsi David, cum venerunt Ziphæi, et dixerunt ad Saül: Nonne ecce David absconditus est apud nos¹. » Et sit absconditus apud vos, dummodo non floreat sicut vos. Audi ergo vocem ejus.

IV. « Deus in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua judica me². » Hoc dicat Ecclesia latens inter Ziphæos. Hoc dicat corpus christianum habens in occulto bonum morum suorum, sperans de occulto mercedem meritorum suorum, hoc dicat: « Deus in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua judica me. » Venisti, o Christe, humilis apparuisti, contemptus es, flagellatus es, crucifixus es, occisus es: sed tertio die resurrexisti, quadragesimo die in coelum ascendisti, sedes ad dexteram Patris, et nemo videt: Spiritum tuum inde misisti, quem acceperunt digni; impleti amore tuo laudem ipsius humilitatis tuæ per mundum gentesque prædicaverunt: nomen tuum video excellere in genere humano, sed tamen infirmus nobis prædicatus es. Neque enim et ille Doctor Gentium dixit aliquid inter nos se scire, nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum³, ut ejus eligeremus opprobrium, magis quam gloriam florentium Ziphæorum. Verumtamen de illo quid ait? « Et si mortuus est ex infirmitate, sed » vivit ex virtute Dei⁴. » Venit ergo ut moreretur ex infirmitate, venturus est ut judicet in virtute Dei: sed per infirmitatem crucis clarificatum est nomen ejus. Quisquis non crediderit in nomen clarificatum per infirmitatem, expavescet ad judicem cum venerit in virtute. Ne autem quondam ille infirmus, cum venerit fortis, ventilabro illo ad sinistram nos mittat, salvet nos in nomine suo, et judicet nos in virtute sua. Quis enim hoc tam temerarius

¹ Psal. LIII, 2, et 1 Reg. XXIII, 19. — ² Ibid. 3. — ³ 1 Cor. II, 2. — ⁴ 2 Cor. XIII, 4.

optaverit, ut dicat Deo, « Judica me? » Nonne pro maledicto dici solet hominibus: Judicet te Deus? Ita plane est maledictum, si judicat te in virtute sua; sed si non te salvaverit in nomine suo: cum vero in nomine præcedente salvaverit te, salubriter in virtute consequente judicabit. Securus esto: judicium illud non tibi erit punitio, sed discretio. Nam et in quodam Psalmo ita dicitur: « Judica » me Deus, et discerne causam meam de gente non » sancta¹. » Quid est, « Judica me? » Discerne me a Ziphæis inter quos lateo, pertuli eorum florem, jam veniat et flos meus. Et illorum quidem flos fuit temporalis, et arescente foeno decedit: flos autem meus quis erit? « Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt². » Remanet ergo et nobis flos, sed qui non cadat, sicut folium plantati illius ligni juxta aquas, de quo dictum est: « Et folium ejus non decidet³. Deus, ergo in » nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua judica me. »

V. « Deus, exaudi orationem meam, auribus percipe » verba oris mei⁴. » Perveniant ad aures tuas verba oris mei, quia non florem Ziphæorum a te desidero. « Auribus percipe verba oris meis. » Tu percipe. Nam Ziphæis etsi sonet oratio mea, non audiunt, quia non intelligunt. Temporalibus quippe gaudent, bona æterna desiderare non norunt. Ad te perveniat oratio mea, ex desiderio æternorum tuorum beneficiorum excussa et jaculata ad aures tuas emitto eam, adjuva eam ut perveniat, ne deficiat in itinere medio, et quasi collapsa corruat. Sed etsi non mihi eveniunt modo bona quæ postulo, securus sum tamen quia postea venient. Nam et in delictis dicitur quidam rogasse Deum, et non exauditus bono suo. Desideria enim sæcularia incitaverant illum ad orandum, et in tribulationibus temporalibus positus optaverat ut transirent

¹ Psal. XLII, 1. — ² Id. XCI, 14. — ³ Id. I, 3. — ⁴ Id. LIII, 4.